GYMNASIO REGIO RASTENBURGENSI

saecularia tertia agenti

pie gratulantes

GYMNASII REGII LYCCENSIS

rector et praeceptores

D. D. D.

commentationem de pleonasmo praepositionum Graecarum in compositione conscriptam a C. A. Kissner.

LYCCAE, 1846.
Ex officina typographica Guil. Menzelii.

Literarum Graecarum vigore deflorescente res ad grammatistas redibat. Quod genus hominum, ut argumentum nasceretur, poetarum clarissimorum opera turpissime vexare incipiebat ex consuetudine criticorum eorum, qui Momum imitati vituperant, ipsi parere quid quamvis effeminatis ingeniis non possunt. A quibus cum sedulo investigari esset coeptum, quae apud quemque poetam superesse, quae deesse viderentur, cum in quovis vocabulo notae fierent amplissimae, omnem sane poesin extabescere oportebat, floremque artis et colorem aufugere, ab indagatoribus sagacissimis expulsum. Eo res iam erat adducta, ut, quae πάθη appellari solent, Josepho omnia adiectionum detractionumve ordine teneri crederentur, ex quo tempore pleonasmi ellipseosque mentione grammatica resonat. Latissime vero is videbatur patere pleonasmus, quem verborum aut nominum compositione cum praeverbio abundanter adiecto constare opinabantur, de quo fabulae multae in nostram usque memoriam irrepsere. Et harum quidem agetur nunc satis. Primum enim, quae huius exempla abundantiae a veteribus afferuntur, non sunt flocci facienda, nisi omnem orationis succum et sanguinem amitti placuerit; tum, quae de accentu et de motione vocum abundantium lex statuebatur, necesse est eandem una cum pleonasmo ipso concidere. Cum enim ita esset sanctum, composita et accentum retrahere, et esse communia genere, res postulare putabatur, praeverbio abundanter praefixo ut nihil nec de accentu, nec de motione mutaretur. Quod mire quam naturae est rationique consen-

taneum. Verum quoniam in animo est ostendere, praeverbia vix unquam in compositione nihil significare, ad hanc regulam tonoseos motionisque iudicium dirigere non poterimus. Placet igitur hoc opusculo demonstrare, alias plerumque, atque abundantiam, causas rationesque subesse, si accentus in conpositione non ratrahatur motioque integra permaneat. Quo exposito, quae ab antiquis grammaticis huius pleonasmi exempla afferuntur, uno in conspectu collocabimus, paucisque absolvemus, qui fines nobis esse abundantiae videantur. Reliqua quaestio, hoc tanquam fundamento iacto, procrastinanda erit in aliudque tempus differenda, cum non liceat supra statutum modum oratione evagari. Universam autem materiem cum saepius iam de integro tractassem, propter diversos disputationis anfractus nondum erat concessum, singulos, qui huc pertinent, locos ad unum omnes conficere. Ita relictus adhuc is est locus, qui de tmesi est, quique de diversis scripturis. Qui uterque haud levi est momento ad fabricam vocum compositarum recte dispensandam. Sed spero fore, ut postea mihi facultas fiat tum corrigendi multa, tum addendi, aut ut alius quis me eruditior opus inceptum praeclare absolvat. Namque mei quidem, ut libere loquar, ad abundantiam investigandam oculi hebetiores videntur, nec facile quidquam indagaverint, quod superesse credatur, nisi fuerint a praemonstratore quodam istuc directi et conversi. Quin nescio quo modo ne tum quidem, quod virgula monstratur, abundare vident. Quare quodam Academicorum nobis officio functuri videmur, quoniam facilius, qui non sit pleonasmus, quam, qui sit, sumus effecturi. Maior autem eademque gravior disputationis nostrae pars, ut diximus, hoc opusculo non poterit absolvi, qua singula a nobis pleonasmi genera enumerabuntur, exquireturque diligentius, quibus potissimum ex legibus poetae Graeci praepositiones cum verbis aut nominibus ita compositas usurparint, ut abundare viderentur, in quo non tam id erit demonstrandum, quae reapse abundent, (nam talia sane quam pauca sunt,) quam quid quaeque praepositio significare videatur. Sed ad rem ipsam pergamus.

§. 1.

De abundandi vocabulis.

Quemcunque fueris aggressus locum grammatices, erit initium faciendum a veterum grammaticorum praeceptis, ut fiat perspicuum et unde ea sit profecta disciplina, et quousque per temporum insequentium mutationes progressa et transformata. Namque e fontibus nimirum omnia sunt repetenda. Ad quam rem incredibile quam utilis est vocabulorum grammaticorum tractatio et cognitio, cum praesertim, quod certis quibusdam vulgo notatur vocibus, hoc circumloquantur multimodis. Quod usu venit in nostra quoque causa. Quare placet, antequam ad causam ipsam accedamus tractandam, litis tanquam instrumenta cogere paucisque exponere, quibus potissimum vocabulis veteres pleonasmum notaverint. Dicunt autem vulgo παρέλκειν, πλεονάζειν, περισσεύειν τὴν πρόθεσιν, ut contra λείπειν, ἐλλείπειν, ut Schol. ἐλλείπει ἡ ἐν, aut παρεῖται ἡ πρόθεσις de ellipsi.

Eust. 760. 45: πλεονάζει ἡ ἀπὸ πρόθεσις. Herodian XXIII 561 κατὰ παρολκὴν κεῖται, V. 862 παρέλκεται, quod Philemon Lex. 43. s. v. ἅττα dicit ἐκ τοῦ περιττοῦ προςτίθεται, sicut etiam Eust. 1575. 51. Tum Eust. 1853. 20. περιττὴ ἡ πρόθεσις, 343. 34 ἡ ἀπὸ πρόθεσις ἀργή, Dionys. Thrax: πρόθεσις σημαίνει πλεονασμὸν quod tale est, quale apud Aeschylum in Agamemnone: φρουρὰν κοιμώμενος. Quod habet autem Schol. Buttm. 9. 565: περίττωσεν, ibi est scribendum περιττόν, quia — όω terminatio ab hoc longissime abest. Scribunt igitur vocabulum quoddam περιττὴν ἔχειν τὴν πρόθεσιν Eust. 1171. 36, 1805. 47, 1853. 41, aut sic: πλεονασμὸν ἔχει τῆς προθέσεως ἐπίουρος Eust 1746. 47,

quod idem mox coeperunt aliis modis multis exprimere, ut 1466, 39 καὶ ὅρα τὸ ἀνήγαγεν ἁπλῶς οὕτω λεχθὲν ἀντὶ τοῦ ἤγαγε, 708. 58 τὸ δὲ ἀνάγουσιν ἀντὶ τοῦ ἁπλῶς ἄγουσιν, 1474. 2 ἀπομηνίειν τὸ ἁπλῶς μηνίειν, aut etiam simpliciter dicunt ἀπομηνίσαι ἀντὶ τοῦ μηνίσαι, 357. 25 τὸ ἀπομηνίσαι ταὐτόν ἐστι τῷ μηνίσαι, 1256. 44 (τὸ ἀπολυσόμεθα) συγγενές ἐστι τῷ λυσόμεθα, quibus mox subiicit: δῆλον δ' ὅτι κἀνταῦθα περιττὴ ἡ ἀπο πρόθεσις. Et profecto huc faciunt Eust. 119. 23 πρὸ ὥρας ᾤχετο] ἐξ οὗ καὶ οἰχόμενος καὶ ἀποιχόμενος ὁ θανών, et 1159. 56 Παυσανίας δὲ καὶ ἐπὶ θυσίας κεῖσθαι τὴν λέξιν (ῥύειν) λέγει, ὅθεν καὶ ἀναῤῥύειν φησὶ τὸ θύειν. Neque vero loci ab his segregandi sunt ii, quibus vox composita a scholiastis explicatur per simplex, ut Odyss. 12: κατάστησον] ἤγουν στῆσον Iliad. 19. 201 μεταπαυσωλὴ] παῦσις, et quae his sunt similia, quae maximam partem scholiastae redundare praepositione censebant.

Cum autem hoc volunt dicere, praeverbium suam retinere vim, dicunt id καλῶς ἔχειν, ut Schol. V. 502 καλῶς ἡ ὑπο, aut interpretantes eandem recipiunt praepositionem, quae est in vocabulo eo, quod sunt explicaturi, ut Schol. 22. 36 κατακείρατε] καταδαπανᾶτε, Eust. 1469 ad 3. 315 κατὰ πάντα φάγωσιν] ὅ ἐστι καταφάγωσι, καταδαπανήσωσι, aut alia ratione hoc explanant, nt Eust. 229. 15 καὶ διαφέρει (τὸ κατήσθιε) τοῦ ἁπλῶς ἐσθίειν, ὡς καὶ τὸ καταφαγεῖν τοῦ ἁπλῶς φαγεῖν.

Et de duplicibus praeverbiis Eust. 712. 41 οὐδ' αὐτὸ κενᾶς ἐστοίβασται προθέσεσιν. Quanquam vulgo de duplicibus praepositionibus loquentes solent dicere δύο προθέσεις, de tribus autem copulatis cum loquuntur, dicunt πυκνὰς προθέσεις et ἐπαλλήλας et στοιβὴν προθέσεων. Eust. 217. 20: ἰστέον γάρ, ὅτι οὐδαμοῦ στοιβὴν προθέσεων μάτην οὕτω τίθησιν, et 1553. 7: οὐκ ἀλόγιστος ἡ ὁμοιότης τῆς τῶν ἐπαλλήλων προθέσεων συνθέσεως, et Schol. Vill. p. 61. XIII. 352: ἐμφατικως δε πυκνας τας προθεσεις ἐλαβεν εν τῳ ἐξυπανεστη.

Quintilianus 1. 5. p. 36 πλεονασμὸν appellant adiectionis vitium, ut ἔλλειψιν detractionis. cf. 8. 3. p. 465: „est et πλεονασμὸς vitium, cum supervacuis verbis oneratur oratio.“ Prisc. ed. Krehl. 17. 23. Vol. 2. p. 91 abundandi, alias redundandi vocabulo utitur.

§. 2

De nota abundantiae.

Satis omnibus est tritum, veteres grammaticos notas quasdam adhibuisse, quibus poetarum notarent locos inusitatis formis memorabiles, aut alia, quaecunque extra vulgarem essent consuetudinem. Quo librorum est copia nata, qui sunt inscripti περὶ σημείων, ut Philoxeni liber et sive Diogenis sive Diogeniani, et, qui omnium maxime inclaruit, Aristonici commentarius περὶ σημείων Ὁμήρου, de quo vid. Lehrs. Arist. dissert 1 c. c., qui p. 13 διπλῆν ut σημεῖον τοῦ πλεονασμοῦ ab Aristarcho adhibitam demonstrat. Hom. XII. 303: σημειοῦνταί τινες ἐνταῦθα, ὅτι περισσὴ ἡ πρόθεσις ἡ περὶ (φυλάσσονται περὶ μῆλα.) Qua nota cum aliae quoque voces superfluae notarentur, eadem praepositio omissa indicabatur ab Aristarcho, quod multis locis allatis ostendit Lehrsius.

De accentu.

§. 3.

Vetus est grammaticorum praeceptum, in compositis retrahi accentum, ut εὐνή, χαμεύνη, δεξιός, ἐπιδέξιος, περιδέξιος, ἀμφιδέξιος, ἐτεῖος, ἐπέτειος, φίλος, Ἀντίφιλος, εἶτα, ἔπειτα, quod idem Eustathius animadvertit fieri in vocabulo ἀπόχρη 7527. 11: ἔχοι τ' ἂν λόγον ἡ τοῦ ἀπόχρη βαρυτόνησις, ἀναδραμόντος τοῦ τόνου διὰ τὴν σύνθεσιν, ὅπερ ἐν ῥήμασιν οὐκ εἴωθε γίνεσθαι, ὡς δῆλον οὐ μόνον ἐκ τοῦ συνδεῖ καὶ ἀποπλεῖ καὶ καταχεῖ, ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ συμπνεῖ καὶ ἀποψῆ. Sed hoc ipsum praeter Atticos dicunt etiam ἀποχρᾷ. Ad istius autem similitudinem ἀπόειπε Mus. 125: de quo Etym. Magn. 126. 4: ἐν τῇ συνθέσει ἀναβιβάζει τὸν τόνον, tum φάθι ἢ ἀπόφαθι Eust 688. 29: δίειπε 728. 15. Sed nos hoc loco de substantivis et adiectivis dixisse satis habeamus, appositis paucis, quae huc pertineant, adverbiis. Nec enim opus est, omnia hoc loco excutere vasaria.

1*

§. 4.

Haec autem iam a veteribus est constituta regula, non retrahere accentum praepositionem, si sit ea superflua, de quo paucis disputat Lehrsius quaest. epic. p. 92, qui cetera quoque veterum de anastrophe praecepta perſtrinxit c. 2. p. 68. — Accentum retrahere Graecis dicitur ἀναδέχεσθαι τὸν τόνον. Etym. Magn. 126. 17, ἀναβιβάζειν τὸν τόνον ibid. 4. Διὸ οὐκ ἀναστρέφουσιν Herodian. 23. 561., διὸ οὐκ ὄπισθεν φέρει τὸν τόνον Dionys. Thrax. p. 930. 3, οὐκ ἀναπέμπει τὸν οἰκεῖον τόνον ibid., φυλάσσει τόνον, οὐ ποιεῖ ἐξαλλαγὴν τοῦ τόνου, aut, si quid horum est simile.

Uti autem praepositionem singularem in anastrophe erigunt, si sit ea supervacua, ita, ubi abundanter est praepositio vocabulo alteri praefixa, non habet eam vim, ut accentum possit retrahere. Schol. Hom. V. 173: ὅταν παρέλκῃ ἡ πρόθεσις, οὐ ποιεῖ ἐξαλλαγὴν τοῦ τόνου. Arcad 86. 7, τὸ μέντοι ἱπποβουκόλος διὰ τὴν ἐνέργειαν παροξύνεται, καὶ ὅτι ἀπὸ τοῦ ῥήματος καὶ αὐτό. τὸ δὲ ἐναντίος ἀπὸ τοῦ ἀντίος παρέλκον ἔχει τὸ εν. Quare Schol. Hom. 4. 386 ὑποδμώς] παρέλκει ἡ ὑπο. διαφυλάττει δὲ τὴν ὀξεῖαν. Itaque, quia περιττὴν ἔχειν τὴν πρόθεσιν veteribus videbantur, habent, credo, simplicium accentum haecce: ἀπαγγελτήρ, ἀποῤῥώξ, ἐναντίος, ἐνηής, ἐπαινή, ἐπαρά, ἐπαρηγών, ἐπαρωγός, ἐπημοιβός, ἐξημοιβός, ἐπιδημιουργός, ἐπιῆρα, ἐπιποιμήν, quod hanc ob causam Eust. 1117. 48 cum ἐπιβουκόλος, Schol. Hom V. 178 cum ἐπιμῆνις componit, ἐπιπρητῆνες, ἐπισκαφεύς, ἐπισμυγερή, ἐπιφρίξ, παρεμφερής, συνεταιρίς, συνοπηδός, ὑποδμώς, ὑποδρηστήρ, ὑπιωγή, sive ἐπιωγή, tum ἀπουρανόθεν, ἐξουρανόθεν, ἐξομόθεν, ἀπονόσφι, ἐπιλαδόν, ἐπισμυγερῶς, ἐφεξῆς, καταντικρύ, παραυτίκα et si quid est ex eodem genere. Satis enim multa sunt congesta ad id, quod est in animo, explanandum. Tria ad summum adiicias adiectiva verbalia: καταθνητός, ἐπιμωμητός, ἐπίφρικτός.

§. 5.

Praeterquam autem, quod ex his nonnulla non certam ha

bent accentus constitutionem, velut ἐπίηρα, ἐπίμηνις,[1]) alia autem, ut haec duo ipsa, vacillant propter ipsam structuram, quemadmodum ἐπιφρὶξ et ἐπαρὰ,[2]) magna pars vix egere videtur hac excusatione, ut istuc, quod Scholiastes propter pleonasmum acui censet, καταθνητός, de quo infra erit nobis aptior dicendi locus. Nunc de iis diligentius videamus, quae supra congregavimus.

Jam ἐπιποιμήν, quod Eust. 1717. 48 ad 12. 131 propter pleonasmum censet erectum, ideo scrupulum videtur iniicere, quod et συμποιμὴν ultimam erigit, quod nemo unquam est abundare arbitratus, et φιτυποιμὴν Aesch. Eum. 911. Paroxytona βουποίμην, ψευδοποίμην, ἀρχιποίμην, Φιλοποίμην Lobeckius in Paralipomenis congessit. Eodem nescio an pertineat ἐπιπρητήν, puod Hesychius suppeditat, a πρητὴν significatione distinguendum, si quid video, nec, ut plerique autumant, pleonasmo asserendum. Fieri potest, ut in his similis lex valeat, atque in iis bisyllabis in ῃ exeuntibus, quae oxytona sunt, quae cum praeverbio consociata retinent accentum, cum alia voce retrahunt. Quanquam haec ratio in φιτυποιμὴν non convenit, quod itidem, ut ἀρχιποιμὴν, quod ipsum Lachmanni codices paroxytonon praebent, regulam migrat ab Herodiano lex. 9. p. 1138 constitutam: βαρυτόνως τὸ μελλείρην, ὥςπερ πυθμὴν, ἀπύθμην αὐχὴν, ὑψαύχην, secundum quam Eustathius ὑποπύθμενες XI. 633 pro ὑποπυθμένες scribendum censet διὰ τὴν σύνθεσιν, ὡς ἐριαύχενα, 869. 8. Multa ex hoc genere Lobeckius Paral. p. 196 collegit, a quo tota

---

[1]) Lehrs quaest. epic. Aristarchum suspicatnr ἐπιῆρα scripsisse, idemque de ἐπιμῆνις Herodianus Hom. V. 178. affirmat, qui hanc ob causam hoc cum ἐπισμυγερῶς et ἐπιβουκόλος componit. Qui ita pergit: εἰσὶ δὲ οἳ ἀνέγνωσαν ὁμοίως τῷ ἐπεὶ οὔ τοι ἔπι δέος, (Hom. I. 575,) ἵνα τὸ ἔπεστι σημαίνηται. ἄλλοι δὲ ἐπίμηνις ἓν μέρος λόγου ποιοῦντες. ἄμεινον δὲ τῷ Ἀριστάρχῳ συγκατατίθεσθαι. Solent etiam dubitare, sitne κατενῶπα scribendum, an sit κατένωπα. Hom. XV. 320 Eust 1017. 64. Lob. Paral. 169. De ἐπίηρα cf. Larcher. remarq. crit. ad Etym. Orion. p. 233. interpp. Hesych. s. v. ἦρα.

[2]) Ἐπαρὰ ex Hom. 17. 496 natum: ἐπ' ἀρῇσιν τέλος ἡμετέρῃσιν γένοιτο, sicut ἐπιφρὶξ ex Hom. VII. 63, quod bene Ascalonites secundum Herodianum et Eustathium scribit ἔπι φρίξ. cf. Lehrs.

haec de pleonasmo disciplina profecta videtur esse, quamvis alio sub syllabo.

§. 6.

De ἐναντίος facilius concesserim. Neque enim hoc, neque καταντίον Damaget. in Anthol. Planud. 95. 3, καταντία Oppian. Halieut. 2. 555, ἀπαντίον Herod. 7. 34, κατεναντίον Hom. XXI. 567, Hes. scut. 73, Dionys. Perieg. 113, 114, Quint. Smyrn. 1. 271, Mus. 254 et ὑπεναντίος Hes. scut. 347, cur ultimae proximam erigat, satis possumus enucleare, cum praesertim ἔναντι et κατέναντι scribatur, a quibus profecta esse propter accentum ista nequeunt. Facilius ex ipso praeverbio oxytono nascitur ἀντίος, veteresque grammatici, accentuum fere auctores, cum in vocabulo ἐναντίος vel ad motionem propenso omnes sibi abundantiae numeros agnoscere viderentur, in tonosi nihil volebant mutari. Quamquam, ut ex iis patebit, quae postea de significatione sumus dicturi, certo intellectu ἐναντίος scribitur, omissa etiam, quae magis est recondita, relationis significatione. Ipse autem quoniam aliam tonoseos rationem investigare non potui, de qua una hoc loco sermo est, quadam necessitate circumventus do hoc, nec tamen satis fidenter, ideo veteres hanc vocem voluisse esse paroxytonam quod abundare eam praepositione arbitrarentur; istuc non do, reapse vocabulum praeverbio redundare, quod diligentius alio loco et tempore refutabi mus. Παραπλήσιος, a paroxytono profectum, quod cum hoc solet comparari, sententia apertius mutata accentum retraxit.

§. 7.

Quae autem ex nomine et verbo sunt conglutinata vocabula in ός exeuntia, ea, ubi activo sunt intellectu, ultimae proximam erigunt. Ad quam normam Homerus multis locis βουκόλον scripsit et sexies ἐπιβουκόλον 3. 423, 20. 235, 21. 199, 22. 268, 285, 292. Talium enim quae sunt proparoxytona, ea passiva sunt no-

tione induta. Ne accentu igitur retracto ambiguitas nasceretur intellectusque vocabuli infuscaretur, veteres ἐπιβουκόλον pronuntiabant. Quanquam et Scholiastes et Eustathius opinati videntur esse, anabibasmum abundantia impediri, sicut supra iam diximus. Quid autem, quod οἰοβουκόλος apud Aeschylum Suppl. 300 reperitur, in quo ne iota quidem abundat? Nam, quod apud Euripidem est Phoen. 28, ἱπποβουκόλος, σχῆμα potius est, quam πάθος, habetque alteram magis, quam primam compositionis partem superfluam. Ἐμπυροσκόπος autem non a praeverbio est compositum, sed a substantivo τὰ ἔμπυρα, quare eam sequitur normam, quam θυοσκόπος. Ὑφηνίοχος autem Hom. VI. 19., in quo pleonasmum sibi manifestum veteres comprehendisse videntur, ut ἡνίοχος ab ὀχέω est profectum trisyllabo, erigitque ex ea lege ultimae proximam, quam in vocibus ἱερόσυλος et πτολίπορθος valere autumant. Quae lex nimis artis circumscripta est finibus, quoniam nec ἐγχέσπαλος, (ἐγχεσίπαλος,) nec ἱππόδαμος complectitur, quod postremum fieri potest, ut ita sit a proprio Ἱπποδάμας distinctum. Alterum autem ἐγχέσπαλος mihi quidem obscurum, cum praesertim σακεσπάλος secundum Reisig. comment. critic. d. Soph. Oed. Col. 1308 melius scribatur, quam σακέσπαλος Hom. V. 126. Christod. Ekphras. 144: γαίης Τρωϊάδος βλάστημα σακεσπάλον. Jam tempus autem, ex scopulosis his cotibus enavigare, quas evitare omnino in cursu nostro non poteramus.

§. 8.

Sequuntur ἐπαρωγὸς et συνοπηδὸς paucaque his confinia, quae deinceps iunguntur. De ἐπακουὸς duo exstant Arcadii praecepta pag. 90. 11: τὰ παρὰ τὸ ἀκούω προπαροξύνεται, ὑπήκοος, ἀνήκοος. το δὲ ἐπακουὸς παρασύνθετον. γίνεται γὰρ ἐκ τοῦ ἐπακούω, alterum autem hocce: τὰ εἰς ος καθαρὸν ἔχοντα δίφθογγον τὴν διὰ τοῦ υ ὀξύνεται, ἐπιθετικὰ ὄντα, οὐκ ἐθνικὰ, ἀκουὸς (quod vixdum reperitur) καί ἐπακουὸς, ἀγαυός, καὶ τὸ κύριον καὶ τὸ ἐπίθετον, quo a se ipso recessit, temereque a recta via, quam inierat, aberravit. Quod est autem Hom. 11. 498. Apoll.

Rhod. 3. 1211. Luc. Alex. 40. ἐπαρωγὸς, huius vocabuli simplex reperitur ἀρωγὸς Hom. 11. 235, velut ἐπαρωγὴ Apoll. Rhod. 1. 30?, Luc. Alex. 28. reperitur et ἀρωγὴ apud Homerum, sed ἐπαρωγεὺς a Nicandro Alex. 110 confictum παρὰ συνθέτου videtur, aut metaschematismo natum, ut ἀπαγγελεὺς, quaeque alia Lobeck. Phryn. p. 315 notavit. De ἐπαρωγὸς vide Lehrs. Arist. p. 117, qui huic vocabulo verbum compositum ἐπαρήγειν subiectum esse negat, quod saepius apud Homerum est et in Anthologia, ita, ut decompositorum excusatione hoc loco uti vix posse videamur. Quoquo autem oculos converteris, oxytonesi, dummodo placuerit, vocabulum abundantiam profiteri invenies. Neque enim ἐπαρωγὸς tantum scribitur et ἐπαρωγεὺς, sed eundem Apollonius ἐπαρηγόνα saepius appellabat, ut 1. 1039, 4. 858, quo loco posteriori femininum est. Ex quibus apparet, quam lubrica haberi debeat tota haec regio: nam de omnibus his praecepta exstant grammaticorum, quibus tonosis sine ulla pleonasmi mentione defenditur. Συνοπηδὸς Appoll. Rhod. 4. 795, quod alia forma Atticis est usurpatum, abundantiae quidem maiorem etiam, quam ἐπαρωγὸς, movet suspicionem, cum verbum non reperiatur, voxque ὀπηδὸς Hom. hymn. in Mercur. 450 vi ac notione proxime ad compositi significationem accedat. Verum enim vero accentus ex macroparalectorum legibus est conservatus, quibus teneri ἐπιδημιουργὸς quoque censeo, de quo satis exposuit Lobeckius Paralip. Qualia non propter abundantiam acui vel hoc signum est, quod talia quoque ultimam erigunt, quae a pleonasmo longissime absunt, ut ἐπαοιδὸς, sive, ut Atticistis placet, ἐπῳδός. Tum retractus in ἐπίουρος Hom. accentus 13. 405, 15. 39, XIII. 450, Theocrit. 8. 6, 25. 1 Apollon. Rhod. 4. 652, Oppian. Cyneg. 1. 174, quod Eustathius 1746. 47 abundare praeverbio censet, Aristarchus autem interpretari conatur, (ἐκδεχόμενος τὸν φύλακα,) testis est amplissimus, quanta hic locus sit caligine offusus. Nam praeter ἐπίουρος multa sunt in simili causa versantia, quae sibi quisque, ex altera disputationis nostrae parte, si commodum fuerit, expiscabitur. Atqui ἐπίουρος cum scribant, Priapus tamen κηπουρὸς appellatur Epigr. adesp. 176 (VI. 21.), malorum autem custos κήπουρος ab Euphorione, qui idem in inscriptionibus κηποφύλαξ et καρποφύλαξ dicitur. Quin ea quoque fluctuant,

quae per ῶ contrahuntur, quae magnam partem oxytona sunt, ut ὑλήωρος Apollon. Rhod., ὑληωρὸν — Πᾶνα Leonid. Tarent. Anthol. IX, 337. Quorum quaecunque ratio est, hoc saltem ex iis, quae disputata a nobis sunt, intelligi potest, non opus admodum esse pleonasmo ad oxytonesin excusandam. — Ἐξημοιβός Hom. 8. 249, Quint. Smyrn. 7. 437 et ἐπημοιβός Hom. 14. 513, XII. 456, Oppian. Cyneg. 1. 98, Halieut. 5. 135, Nicand. Theriac. 365, cuius adiectivi motio firma non est, quamvis ἀμοιβός exstet, mihi quidem propius ad parasynthetorum naturam accedere videntur, aut etiam, si hoc fas est dicere, propter potentialem quendam significatum acui. Ἐπαινή et ἐπισμυγερή quoniam formae in ός evanescebant, eo loco tractabuntur, quo de motione sermo erit.

§. 9.

Quando autem modo in voces ἐπαρωγεύς et ἐπαρηγών incidit oratio, istis absolutis succedat ἐπισκαφεύς ab Hesychio suppeditatum. Quae attulisse satis habeamus. Nam nomina in εύς sive sunt substantiva, sive in adiectivorum naturam convertuntur, oxytona esse debent, quae regula lippis iam et tonsoribus, ut ita dicam, innotuit.

Itidem trita satis omnibusque nota est lex ea, qua vocabula in ῆρ exeuntia in compositione acui iubentur, cum praesertim per ῆ declinentur. Arcad. pag. 20. 7. Bene igitur se habent ἀπολυμαντήρ, ἀπαγγελτήρ, ἐνναετήρ et, quod maxime, abundans videri solebat, ὑποδρηστήρ, quae suo quodque loco a nobis diligentius explicabuntur.

Ἀρηγών vero Hom. IV. 7., Batrach. 242, Oppian. Halieut. 5. 108 (ἀρηγὼν ἡνίοχος) quia pluribus constat syllabis, ἐπαρηγών retinet accentum ex ea regula, quam Arcadius tradit pag. 17 de iis, quae a perispomenis et oxytonis componuntur, quae regula non valet de eorum turba, quae monosyllabis et bisyllabis iuncta sunt. Cf. Etym. Magn. 805. 56. — Lobeck. Paralip. p. 201.

Καταφαγάς firmum non est secundum Lobeck. Phryn. p. 435 pariterque ἐπιπολιορκητής Phalar. epist. 333. 2. Alciphr. 2. 2 incertum, quae ut omnibus ex numeris abundent, propter hanc ipsam certe abundantiam non sunt oxytona.

§. 10.

Neque vero in vocabulo ἐνηής tam certum signum abundantiae est oxytonesis, qnam veterum opinionis, quibus non satis aperta erat vis huius vocabuli. Quin ne hoc quidem pro certo habeo, propter pleonasmum praepositionis grammaticos hoc vocabulum acuisse. Namque, quae vocabula in ής exeunt, ea magnam partem oxytona sunt sine ulla abundantiae suspicione. Afferrem singula, si nostra interresset, sed nil opus. Satis hos fines Arcadius ab omni impetu defendit, qui 28. 1. ea acui dicit, quorum simplicia una pluribus syllabis constantia ipsa sint oxytona, quod idem Eustathius 897. 38 φιλοψευδὴς ὀξυτονητέον, ὁμοίως τῷ ἁπλῷ. Τὰ γὰρ εἰς ης λήγοντα ὑπὲρ μίαν συλλαβὴν ὀξυνόμενα συντιθέμενα πάντα θέλει φυλάσσειν τὸν αὐτὸν τόνον, cet. Vid. Lehrs. quaest. epic. pag. 163. Huc pertinent: ἐναργὴς Hom. 3. 420, 4. 841, 7. 201, 16. 161, III. 419, VIII. 133, XX. 131. Lucill. 19. 3 Anth. Tom. 2. pag. 321. καταπρηνής 13. 164, 199, 19. 467, XV. 114, 398, XVI. 792, ex quo Nicander Ther. 824 verbum finxit καταπρηνίζειν a Nonno recentioribusque receptum, quod tale est, ex quo facillime vis praeverbii patefiat. Tum, quod magis pronum propter πρηνής, a πρό productum, ad pleonasmi speciem est προπρηνής Hom. 22. 98, III. 218, XXIV. 18, Dionys. Perieg. 89, quamvis originatio duplex πρό indicare videatur, non tantam invidiam movere debet, quantam διηνεκής movit, quod ab Homero profectum per omnes fere aetates pertinuit, aptius utique visum simplici ἠνεκής, quod apud Homerum nondum reperitur, verum sero a Callimacho fragm. p. 162 et Nicandro Alex. 605 et 517. usurpabatur. In alia causa ἐνηής versari putatur Hom. XVII. 204, XXI. 69, XXIII. 252, 648, Hes. theog. 65., Apoll. Rhod. 2. 1199,

Oppian. Cyneg. 2. 89, quod eodem modo est ab ἡδύς factum, quo a βαρύς, nomina in ής exeuntia fiunt oxytona, aut a βαθύς, βριθύς, ἡδύς nisi malueris haec a substantivis neutralibus βάρος, βάθος, βρῖθος, ἦδος ad similitudinem eorum arcessere, quae a σθένος, τέλος, πάθος, εἶδος, aliis multis fabricantur, ut περισθενής, πολυτελής, cetera, quae omnia oxytona esse debent, quamvis nihil habeant, quod redundare videatur. Vid. Lobeck. Phryn. p. 533, Horn orig. epic. p. 4. adnot. 3. Nec ea composita continuo abundantiam tonosi profitentur, quae sunt a verbis, quorum Herodianus oxytonesin esse propriam dicit consentiente Arcadio 27. 11: τὰ εἰς ης ἐπίθετα παρὰ ῥῆμα σύνθετα, εἰς οὺς ποιοῦντα τὴν γενικὴν ὀξύνεται, ex quo genere sunt διαπρεπής, ἐκπρεπής, ἀριπρεπής, (περιπρεπής propter ipsam originationem dici nequit,) ἐπιεικής, ἐπηρεφής, κατηρεφής, παρεμφερής. Quae cohors compositione fere utitur necessaria ex onomaturgorum legibus, longeque abest a pleonasmi finibus.

§. 11.

Vocibus his confinia sunt, quae verbalia in ῆ et in ᾶ exeunt, quae cum a praeverbio componuntur, non mutant fere accentum, ut est apud grammaticum: τὰ εἰς ῆ δισύλλαβα ὀξυνόμενα τότε μὲν φυλάσσει τόνον, ὅτε μετὰ προθέσεως συντίθεται, τότε δὲ ἀναβιβάζει, ὅτε οὐ μετὰ προθέσεως, ἐπιτομή, ἀνοχή, συνοχή· ἱστοδόκη δὲ καὶ καπνοδόκη, λατύπη, οἰνοχόη, de qnibns videas Lobeck. Paral. pag. 472. Quamquam mihi quidem huius rei alia videtur causa esse. Ἀνοχή enim ab ἀνέχω est prognatum, ut ἐνοπή ab ἐνέπω, a quo Ἐνόπη urbs Hom. IX. 150, 292 propriorum diastole distinguitur. Quadrat igitur in ista apte haec regula propterea, quod verba vulgo cum praepositionibus consociantur, alterumque, quod a grammatico agmen coactum est, in concretam, ut hoc utar, notionem abiit, de quo satis multa disputat Buttmannus §. 121. adnot. 7.

De ἐπαρή supra dictum, quod Hom. IX. 456 a plerisque receptum est contra scholiastae monitum, 17. 496 a nescio quo tentatum. Periegeseos loci multi ita ab interpretibus vexabantur, qui

verbi causa ἐπιγραμμῆς 313, ἐπιπλευρῆσι 272, similia sexcenta conabantur introducere, vocibus ἐπίγραμμα et ἐπίπλευρος, si fas est divinare, sollicitati. Ἐπαρή autem tantum non est civitatem nactum, tonosique magis sane legitimum habetur, quam κατάρα, quo verbalium lex migratur. Horum autem innumerabilia sunt, omniaque ad eandem amussim diiudicanda. Jam ὑπιωγή, quod ab Hom. 14. 533 Βορέω ὑπ' ἰωγῇ profectum suspicor, ipsum scribi coeptum 5. 404 pro ἐπιωγαί, voce ab Oppiano Halieut. 2. 550 usurpata. Quod utrumque, ut ἐπαρωγή, de quo iam dictum est, et id, quod Stephanus epist. ad Falckenb. pag. 3 reiecit, ὑπαρωγή, eam regulam sequitur, quam Arcadius pag. 105. 4. de vocabulis in γῆ exeuntibus hyperbisyllabis proposuit.

§. 12.

Ex his iam satis patere arbitror, multas in hoc esse cautiones. Maxime autem cavendum, ne, quodcunque fuerit vocabulum, a praepositione consociatum, oxytonon, id redundare praepositione censeamus. Καταιγίδες (Orion. Theban. Etym. pag. 6. s. v. αἰγίς, Schol. Hom. II. 148, Leonid. Tarent. VII. 273, Pers. VII. 501) sane quam pronum est ad pleonasmi speciem, sed idem vocabulum ab aliis compositum itidem erigitur, κυαναιγίς, χρυσαιγίς et μελαναιγίς, quod secundum Spohn. de extrem. Odyss. part. p. 192. μελάναιγις scribendum est, ut est apud Nonnum Dionys. 27. 302 σεῖο κασιγνήτου μελαναίγιδες. In his certe nihil abundat, sed sunt oxytona, quia in compositione genus femininum asservant, secundum Arcad. 28. 19. Eodem modo defenduntur, ἐπωτίς, κατακληΐς, συνεταιρίς, Ὑποχαλκίς. — Κατακλῶθες autem et κατακλεῖδες, quorum alterum altero magis adundat, (vid. Schol. Hom. 18. 292,) alterum Hom. 7. 197 ab Etymologo Magn. 495. 20 κατάκλωθες scribitur, macroparalexeos lege constituta arbitror.

Jam, ne diutius hunc locum urgeam, pauca in ᾶς suggero exempla, ἐπεμβάς, Hesych., Paul. Silent. Ecphr. Soph. 1. 175 et 2. 519, quod in lexicis nostris deest, quae simplex tantum ἐμβάς

recepere, quo aliud significatur. Tum κατοργάς Agath. prooem. IV. 3. 80, a simplici ὀργάς haud longe diversum, et Apollon. Rhod. 4. 1695 κατουλάς] ἡ σκοτεινὴ νύξ Etym. Magn. 497. 25, cuius simplex Nicand. Alex. 260 reperitur adiectivum: Χαίτην δρυὸς οὐλάδα, a Tzetze postea et Hesychio in aliam, sed substantivam significationem translatum. Haec vero, quaeque horum similia cuipiam fuerint obvia, accentu ad eorum erunt ordinem reiicienda, quae Lobeckius Paral. pag. 221 contulit.

§. 13.

Restant adiectiva verbalia. Ex quorum grege a veteribus propter abundantiam praeverbii tria fere solent segregari ea, quae §. 4. a nobis sunt proposita. De καταθνητός Eustathius confessus est 1641. 31 ad Hom. 9. 502, qui hoc 1009. 49 cum ἐπιβουκόλος et ἐπιμῆνις comparat, quamvis ἐπίουρος adiecto et κατατεθνειώτων, quod posterius accentu nil fatetur. Vide Hom. 3. 114, V. 402, VII. 123, X. 440, hymn. in Vener. 39, 50. Falso autem Wolfius, imitante Spitznero, κατάθνητος videtur scripsisse. Propter praepositionis pleonasmum Eustathius 564. 15 vocem ἐπιμωμητή Hes. Oper. 13. quoque putat accentum simplicis retinere; sed Proculus: οὐχ ἁπλῶς, inquit, μωμητὴ, ἀλλὰ μετ' ἐπιτάσεως. Atqui eodem loco ἐπιφρικτή Nicand. Theriac. 157 habere consueverunt. Qnae ut abundent, accentus hac excusatione certe non eget, cum potentialem habeant significatum subiunctum, qui significatus oxytonesi preprie attribuitur. Lobeck. Paral. pag. 483. Quoniam igitur potentialia ita ab absolutis distinguuntur, quae proparoxytona esse solent, vix est, quod tonoseos causa abundantiam in talibus agnoscamus, qualia sunt Antim. Theb. 18: ἐπαινετὼ ἤλασεν ἵππω, Empedocl. 330 οὐδ' ἐπιδερκτὰ τάδ' ἀνδράσι, οὐδ' ἐπακουστὰ, οὐδὲ νόῳ περιληπτά, alia multa. — Quod autem Scholiastes perhibet Hom. 11, 274 ἀνάπυστα προπαροξυτόνως φησὶν ἐν τῇ καθόλου περιττῆς οὔσης τῆς ἀνα ἀντὶ τοῦ πυστὰ, ἐξάκουστα, obstrepit hoc omnibus, quae de pleonasmo praepositionum traduntur. Cf. de hac voce Eust. 985. 19, 1684.

35. Nec vidit Scholiastes, cui immissum ϝ oculorum aciem praestrinxit, duplicem negationem se invicem destruentem: γέγονεν ἐπενθέσει τοῦ ν ἐκ τοῦ ἀάπυστον, ut de ἀνάπλεως Philem. lexic. 33, Phavorin. s. h. v. p. 174, Etymol. Magn. 98. 33. Etsi alii hoc alio modo interpretantur. Vide Lobeck. Paral. p. 496.

§. 14.

Jam vero etiam absoluta acuuntur multa, velut parasynthet*, de quibus Etymol. Magn. pag. 269. 3, Cram. Anecd. 1. 113. Quin haud parvus est numerus eorum, quae cum longe sint a potentiali intellectu seiuncta, nec sint decomposita, acuantur tamen, ἀποδεικτός, ἐγγραπτός, παρακελευστός, συναγυρτός, συγκαλυπτός, συγκοπτός, quae scripturae ambiguitate vacillant, quorum magnam copiam suppeditat Lobeckius Paral. pag. 498. Quae tantum omnia ab abundantiae suspicione absunt, quantum a potentiali notione. Multa praeterea eodem intellectu variantur, ut συμμικτός et σύμμικτος, cet. Lobeck. pag. 493; ipsaque potentialia nonnunquam sunt proparoxytona. Et in multis quidem vix possumus divinare, quid voluerit scriptor intelligi, in quibus libera fere datur optio, utrum malis potentiale esse idemque oxytonon, an malis absolutum et proparoxytonon. Similem Latina quaedam vocabula ambiguitatem patiuntur: exsecratus, optatus, desideratus, invictus, inaccessus, cui appono δυςέμβατος Tryphiod. 12, Nonn. Dionys. 11. 216, Dionys. Perieg. 1150, quod, quemadmodum ἀνέμβατος, absolutum certe non est, videturque aliquo modo superfluam habere praepositionem, cum a δύςβατος haud longe distet significatione. Quid autem quod eadem adiectiva mutata praepositione sine significationis commutatione mutant accentum, ut παραδεκτός, ἔνδεκτος? aut mutato vocabulo eo, cui praepositio est suffixa? ut ἐπιμωμητός tametsi sit oxytonon, ἐπίμεμπτος scribitur nihilum mutata notione. Sed vereor, ne a proposito aberrare videamur. Satis quisque ex his iam intelliget, totum hunc de oxytonesi locum iacere adhuc,

minimeque esse praeceptis veterum confidendum abundantia acui iubentium.

Ad extremum paucis perstringenda sunt, quae accentu aut a nominibus propriis, aut ab appellativis discernuntur. Eust. 157: Ἄνεκτος κύριον, ἀνεκτὸς δὲ ὁ φορητός. Ἐπαίνετος Eust. 313. 20, cuius etiam simplex reperitur nomen proprium Αἴνετος et Ἐξαίνετος. At vero haec quoque magnam partem propter librariorum fluctuant inconstantiam accentusque ancipitem constitutionem. Vid. Lobeck. Paral. pag. 480 et 487, Lehrs. Arist. pag. 291.

§. 15.

Atque haec quidem hactenus. In multis autem consentaneum erat, nihil effici posse accentu, ut qui iam in simplici ita sit constitutus, ut retrahi non posse videatur, ex quo genere sunt ἐναλίγκιος, ἐναντίβιος, ἐπιβώτωρ, alia centum plura. Tum ex eo haud parva exsistit difficultas, quod in aliis hoc non fit, quod assolet in aliis, ἐπιβουκόλος quod retinet, ἐπίουρος retrahit accentum, quae vox ab Eustathio propter pleonasmum notatur. Et nescio an ex hoc ipso satis intelligi debeat, alia omnia hic magis valere, quam abundantiam. Ἐπίουρος enim sine ulla dubitatione cum ἐπίκουρος concinit sequiturque eandem, quam hoc, regulam. Philem. lex 9.

Similiter ex eorum accentu nihil efficitur, quae sunt appositione nata vocabula, ut εἰσέτι, ἐξέτι, οὐκέτι, ἐςάντα, ἐςαεί, ἐςάρτι, ἐξότε, in quibus omnibus quoniam non tam σύνθεσις est, quam παράθεσις, accentus non debet retrahi, sicut retraxit Dammius et magna ex parte Wolfius, qui modo ἔςαντα, modo ἐςά τα excudit. Et his quidem hoc genus est affine, in quo ἀμπεδίον, ἀμφόνον, κακκεφαλῆς, καγγόνυ versantur.

Duae ubi copulantur praepositiones, accentus solet in posteriori poni, ut ἀμφιπερί secundum Schmidt. quaest. gramm. d. praep. Graec. p. 36, διέκ, διαπρό, ἐπιπρό Callim. Jov. 86, quo loco ab aliis περιπρό scribitur, παρέκ, de quo Eustathius 842. 45 haecce praecipit: τὸ παρεκ διφορεῖται, καὶ παρ' Ὁμήρῳ μὲν ὀξύνεται, παρὰ δὲ τοῖς ὕστε-

ϱον βαϱύνεται, quod idem est 732. 40. Tum ὑπέκ. Unum πϱόπαϱ paroxytonos scribitur, Hes. Theog. 518., Apoll. Rhod. 1. 484, cui dubito aequiparare πάϱεκ, de cuius tonosi antiqui tum incerti haerebant, tum hanc sanxerunt legem, παϱέξ oxytonon cum accusativo iungendum, πάϱεκ cum genitivo, in quo Scholiastae Hes. scut. 351 legerunt vestigia. Quoniam autem in hunc locum sumus delati, nunc paucis de adverbiorum accentu absolvamus.

§. 16.

Familiam ducunt ἀπουϱανόθεν, ἐξουϱανόθεν, κατουϱανόθεν et ἐξομόθεν. Namque ita a nonnullis Hom. XXI. 199, 12. 381, — VIII. 19 — 5. 477 ante Wolfii aetatem scribebatur. Verum in his satis est lex ea stabilita, cuius Apollonius de adverb. 605 praeco est, omnia talia, quae ο habeant in ultimae proxima, esse paroxytona exceptis iis, quae ab ἄλλος, πᾶς, οἶκος, ἔνδον et ἐκτός nascantur, neque ullam in istis haberi rationem, in qua sede sit accentus in nomine collocatus.

Ἐπισμυγεϱῶς autem Hom. 3. 194, 4. 672, qua voce Apollonius saepius utitur, ab Aristarcho in suspicionem adducta, eadem in causa versatur, qua ἐπισμυγεϱή. Nam adverbia talia solent fere nominum accentum retinere praeter pauca, quae composuit Buttmannus grammat. §. 115.

Similiter terminatio — δον postulare accentum videtur, σπειϱηδόν, τετϱαποδηδόν, παϱασταδόν, quae aut a verbis ducuntur, aut a substantivis. Verbalium autem, quae cum praeverbio sunt, parasynthesi oxytonesis defenditur, si hoc opus est: rarissime enim a simplicibus ortum habent, ut ῥυδόν, ὀκλαδόν. Quam ob causam praeclare Schaeferus Oppian. Halieut. 1. 356 ἐγκλιδόν scribi iussit pro κλιδόν, Hom. hymn. 23. 3. Apoll. Rhod. 1. 790, 3. 1008 Paul. Silent. V. 250 repertum. Singula affero: ἀναφανδόν et ἐξαναφανδόν, Hom. 20. 48, ἐκκϱιδόν Tryphiod. 224, ἐπικϱιδόν Apoll. Rhod. 2. 302, ut ἀποκϱιδόν ibid. 2. 15, Oppian. Halieut. 1. 548, quorum simplicia, si quo tempore in usu fuere, diluvio perierunt. Nam κϱιδόν, quod

olim apud Tryphiodorum scriptum erat, iamdudum, ut κλιδόν, explosum est atque obsoletum. Quo loco temperare mihi nequeo, quin coniectura causam huius rei assequi coner, quam in eo positam arbitror, quod haec adverbia certum statum formamque expressam declarant. A nominibus autem quae exsistunt, propterea facilius abundare videntur, quod simplicia reperiuntur, ut verbi causa ἐπωμαδόν Apoll. Rhod. 1. 738, 4. 1770, Epigr. adesp. 204, quod significantius est, quam ὠμαδόν ab Hesychio prostitutum, idemque propensius ad pleonasmum, quam κατωμαδόν Hom. XV. 352, XXIII. 500, Apoll. Rhod. 2. 679, cuius vocabuli notio a simplici longius abest. Magis etiam redundare quispiam dixerit ἐπιλαδόν Dionys. Perieg. 763, prolem, ut hoc utar, postumam vocabuli ἰλαδόν Hom. II. 93, Hes. Oper. 289. Verum hoc constare puto, horum ne unum quidem esse propter pleonasmum acutum.

Nec admodum mirandum, quod ἀμφαλλάξ, ἐναλλάξ, παραλλάξ, quorum simplex ἀλλάξ Empedocles usurpabat, et ἐπιμίξ oxytona sunt, quae a verbis progenita esse litera ξ testatur, futuro peculiaris. Adderem ἐπιτάξ, si simplex inveniretur, ut μίξ Nicand. Theriac. 715, sed nescio, an ex hoc ipso patefiat, istis composita ἀμφαλλάσσειν, ἐναλλάσσειν, παραλλάσσειν, ἐπιμίσγειν potius subesse, quam horum simplicia, a quibus ἀλλάξ et μίξ profecta sunt. De his autem infra accuratius.

Succedit ἀντικρύ, Hom. V. 130 correptum, et καταντικρύ Hom. 10. 559, 11. 64, de quibus multa veteres frustra sunt hallucinati. Attici tantum compositis ἀπαντικρύ et καταντικρύ usi esse perhibentur, quae etiam disiuncte scribuntur ἀπ' ἀντικρύ et κατ' ἀντικρύ. Ipsa autem accentus constitutio apud recentiores mutari coepta, diversarum vicissitudinibus scripturarum fluctuabat. Vid. Buttm. §. 117, Lobeck. Phryn. p. 444. — Et de his quidem satis superque est dictum.

De motione adiectivorum.

§. 17.

Oxytonesi motio cum sit admodum propinqua, magna de disputatione nostra pars detracta est. Satis enim notum est ad-

iectiva composita a grammaticorum gente in ordinem communium genere reiici, ut εἰλαπίνη ἐπιδήμιος, ἐπικήπιος αὔρη, ἐμφύλιος στάσις, ἱέρεια ἐπάξιος, ὑποκάρδιος ὄμφη. At vero iam veteres grammatici hoc sibi enucleasse videbantur, praepositio ubi esset superflua, tria genera asseri compositis, quod cum in aliis, tum in vocabulo ἐναντίος evenire credebant, in quo hoc ipsum accentu effici arbitrabantur, abundare praepositionem. Lehrsius quaest. epic. p. 93 hoc praeceptum comprobat, nec ipse quid renovare ausus sim, verum, sicut modo de accentu agebamus, eadem ratione nunc de motione videamus, ea exquirentes, quae istuc grammaticorum praeceptum interscindere, aut saltem labefacere possint. Namque prorsus me hoc ad nihilum redigere sive posse sive velle equidem non profiteor, sed talia me investigaturum, quibus apparatis lex haec antiqua in dubium vocetur. Atqui in universum, ut dictum est, pleonasmum quasi destructuri invehimur. Quod ut exsequi possimus, antea haec abundantiae fulcra quaedam sunt rescindenda.

§. 18.

Primum ea suggero, quorum et accentu et motione pleonasmus deprehendebatur, ἐναντίη, ἐπισμυγερή, ἐπαινή, ἐπημοιβαί. Ἐναντίη Hom. VI. 251, 394, 6. 329, ἐναντίαι X. 412. Quint. Smyrn. 1. 6. In qua voce cum supra disputatio anceps haereret, hoc loco expeditior est. Nimirum adiectiva in — ιός exeuntia multa moventur in compositione, ut παραθαλασσία πόλις, μεταχρονίη, πολυχρονίη, ὀλιγοχρονίη, ὑπερποντία, quae omnia a simplicibus multum distant. Quorum quaecunque lex est, ad eandem ἐναντίη formatum est, quod facilius etiam concedetur, si praeverbii notio a nobis fuerit explicata, quod in alium locum aliudque tempus est differendum. Praeterea nihilo fere addita praepositione dici significantius haecce putentur: ἀνταξίην Herod. 2. 148, διηερίην Oppian. Cyneg. 1. 66, ἐννύχιαι Hom. 3. 178, Hesiod. theog. 10, Dionys. Perieg. 574, εἰνάλιαι Hom 5. 67, εἰναλίη 15. 479. Dionys. Perieg. 610. Oppian. Cyneg. 1. 48, Mus. 47, ut παῤῥαλίη apud

Dionysium. Tum Hecate εἰνοδία, (Ἑρμῆς ὅδιος,) Venus ἐπιποντία ab Hesychio nominatur. Ἐπουρανίη Quint. Smyrn. 1. 190, Nonn. Paraphr. 248. 28, ἐπιχθονίη Mus. 136, κατωμαδία Callim. Cer. 45, κατωμαδίην Mosch. epigr. Planud. 200. κατοικιδίη Oppian. Cyneg. 2. 573. ὑπερνοτίη Dionys. Perieg. 151., ὑποβρυχία hymn. Hom. 33. 12, quo loco forma feminina primum occurit, ὑποχθονίη Callim. fragm. pag. 158., ὑπόρθριαι Anacr. 9. 9, ὑποκρυφίη Dionys. 29. 107, ὑπαυχενίη Agath. VI. 41. 2, et ἐπωροφίη, quod femininam positionem apud lyricos epicosque posteros recipit, quemadmodum Apoll. Rhod. 4. 168, Antipat. Sidon. VII. 424, Nonn. Dionys. 45. 357, 47. 32. Quamquam hoc postremum simplex non habet. Ex horum autem tonosi cum nihil effici possit, uno exemplo ostendam, quam sit periculosum, si quis motioni nimis confidere voluerit. Homerus 3. 450 τένοντας αὐχενίους dixit eos, qui ad cervices pertinent, Rhianus VI. 34 ἐπαυχένιον κυνάγχην eam, quam Leonidas ibid. 35 ἀγωγαῖον appellavit, Agathias denique ibid. 41. τὴν ταυροδέτιν βύρσαν ὑπαυχενίην. Jam, si quid ex his abundare praeverbio est dicendum, ἐπαυχένιον est, neque ὑπαυχενίην, quod certam simplici notionem adiungit. Tamen id, quod vix abundare videtur, movet, id autem, quod pleonasmo proximum est, non movet. Possum singula, quae congessimus, eadem ratione absolvere, sed vereor, ne multus sim in re aperta. Possum ingentem talium turbam citare, quae sine ulla abundantiae suspicione moveantur, sed vereor, ne hoc aggressus fluctus in simpulo excitaturus videar.

§. 19.

Angusto ab his freto diremtum est: ἐμπλείη Hom. 18. 119, 20. 26, 22. 3, Theocr. 25. 208, quod in quotidiano sermone ἔμπλεα dicebatur, quocum non pugnat Hom. 17. 300 κύων — ἐνίπλεως κυνοραιστέων, quoniam κύων Homero quamvis sit generis communis, saepius tamen est masculinum. Etsi Attici recentiores ὁ, ἡ ἔμπλεως, ὁ, ἡ ἀνάπλεως scribebant, qui nec simplex πλέως movebant. Sed πλείη

Hom. 15. 446, 20. 355, Π. 226, τράπεζα ἐπιπλέη ἀγαθῶν Herod. 6. 139, Ὑπωρείη Hom. Epigr. 7, Orph. Argon. 749, ἐπακταίη Oppian. Halieut. 4. 273., ἐφηβαίη Antipat. Sidon. VII. 427, nisi ἐφ' ἡβείη potius scribendum, ὑπουδαίη Oppian. Halieut. 3. 486, quod in simili fere causa versatur, atque ὑποχθονίη; ὑπουδαίη Oppian Halieut. 3. 486, quod in simili fere causa versatur, atque ὑποχθονίη. Ὑπηοίη Hom. 17. 25. προσομοία, παρομοία, προσεῴα Lobeck. Paral., quae praeter ἐμπλείη cuius obscurior est significatio, facile a pleonasmi suspicione defenduntur, etiamsi cum simplicibus commutari quidem singulis locis poterant sine maiore intellectus detrimento. Quemadmodum autem Lobeckius in Paralipomenis exposuit, puris saepe tria assignantur genera, cuius rei tam multa proponit exempla, ut iam de pleonasmo hoc loco vix cogitandum sit. Quae rerum causarumque sit series et continuatio, ut alia ex aliis nectantur, hoc vero difficillimum est intellectu. Attamen nescio quo modo, quo diutius rem considero, hic locus mihi vicinus ei videtur, qui est de substantivis primae declinationis in ᾰ terminatis. Hoc saltem pro certo habeo, causarum nexum in utroque admodum similem esse, cum eaedem literae terminationem antecedentes tum, ut per ᾰ vocabula declinentur, tum, ut moveantur, auctores credantur esse.

§. 20.

Namque ἐπισμυγερή Hes. scut. 264, Apoll. Rhod. 4. 1065 propter semivocalem potius dici censeo, quam propter praeverbii abundantiam, quamvis accentu quoque significatam secundum Eustathium. De adiectivorum in ερός exeuntium oxytonesi Herodianus Hom. I. 280. disputat, quorum composita ob raritatem fortasse certam legem non sunt nacta. Ipsa enim terminationis notione haec vocabula a compositione tanquam prohibentur. Istuc autem, de quo sermo est, inde ab ovo erat compositum filiusque, ut hoc utar, ante patrem natus. Namque σμυγερός, pro μογερός dici creditum, ortum habet ab Apollonio, ex cuius libris in scripta recentiorum epicorum concessit. Homerus igitur composito uti

consuevit, cuius numerus is est, ut facile cum ictu accentus in extrema syllaba consederit, cum praesertim vox epicis propria esse videatur. Arcadius quidem aliud praeceptum pag. 71 subministrat, τὰ τριβράχεα ὀξύνεσθαι (cf. Lobeck. Patholog. pag. 261,) sed causa perdifficilis est, quia veteres grammatici iidem et auctores et ephori iudicesque tonoseos exstiterunt. Redeat vero, unde huc digressa est, oratio. Motio in hac terminatione minus sane debet esse suspecta, quoniam ita nobis est traditum, adjectiva in —ρος terminata tria habere genera, quae lex non antiquatur regula de compositis conformata, quemadmodum videre licet iam ex Buttmanni grammat. pag. 240. Sive igitur, quae in —ρος exeunt, in compositione movere solent, sive semivocalis causae est, pleonasmo hoc loco scena nulla est.

Ἐπαινή a Scholiasta abundantiae causa notatum, a Buttmanno Lexilog. II. pag. 114 praeclare explicatum, sub tutela consonae liquidae delitescit, nisi ἐπ' αἰνή potius scribendum est, ut homo sagax opinatur. In hoc vero motio congruit accentus rationi, sicut in universum motio et oxytonesis communes videntur habere radices eaque, quae unam semivocalium habent in exitu, saepissime moventur, de qua re satis enucleate disserit Lobeckius Paralipomenis. Ab hoc segregandum est ἀμφιμέλαιναι, de qua voce accuratius alio loco sumus acturi. Namque et accentus mutus et motio propter terminationem masculam minus est admiratione digna.

§. 21.

At de his tantum mihi dixisse videor, quantum opus erat. Ἐπημοιβαί enim Oppian. Halieut. 5. 135, praeterquam quod certum non est, aliis multis excusatur exemplis, quae mutam in extrema habent, ἀναμέστη, ἐπιλοίπη, περιλοίπη, quaeque cetera a Lobeckio sunt collata omni abundantiae suspicione libera. Προμνηστῖναι autem et ἀμφιέλισσαι et πρόκροσσαι partim mascula positione, partim sim-

plice carent, ideoque praeverbii magis interpretatione egent, quam videri possunt abundare.

